DISPVTATIO
DE
DOLO MALO & METV:

QVAM

Ductu Auspiciisque diuini numinis;

&

Præside

Clarissimo, Consultissimoque

D. EVERARDO à BRONCHORST,


Professore in inclyta Batauorum Academia ordinario,

Respondebit

IACOBVS CAMPE *Verianus.*

XV. die Iulij, Anno cIↃ. IↃ. XCV.

horâ & loco solitis.





LVGDVNI BATAVORVM,
Apud Franciscum Raphelengium.
cIↃ. IↃ. XCV.

52

Amplissimo Clarissimóque viro,

HIERONYMO A BORRE,
Curiæ Hollandicæ Consiliario dignissimo, Auunculo sempiternè mihi colendo:

ET

Consultissimo Doctissimoque viro,

MAXIMILIANO DE POTTRE,
Curiæ Hollandicæ Aduocato; fratri meo & tutori charissimo,

HANC

DE DOLO MALO & METV

DISPVTATIONEM,

In debitæ gratitudinis & obseruantiæ signum

L. M. D. D.

Defendens IACOBVS CAMPE.

DISPVTATIO, DE DOLO MALO & METV.

THESIS I.

CVM omnis, quæ à ratione ſuſcipitur aliqua de re inſtitutio, debeat à definitione proficiſci, vt intelligatur, quid ſit id de quo diſputetur: Dolum malum ita ex Labeonis ſententia definiemus, vt ſit omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita[a].

[a] *L.1.§.dolum.D.h.t. Explicatio huius eſt apud Mynſing.§.ſuſpectus, Inſt.de ſuſpect.tut.Weſemb.n.1.C.h.t.& Cuiac.ad princ.h.t.*

II.

Cùm in pluribus negotiis dolus incurrat, in contractibus quid operetur inſpiciendum eſt. Verùm ſi bonæ fidei contractui cauſam dederit, contractus ipſo iure non ſubſiſtit[a]; ſi vero in eundem inciderit, valet quidem, ſed dolus per actionem ex eo manantem reſarcietur[b].

[a] *L.3.§.vlt.D.pro Socio, l.in cauſa 16.§.item relatum eſt, D. de Minor.l.7.in verbis aut nullam eſſe venditionem, D.h.t.& ibi Cuiac. Diſſent. Robertus lib.3.cap.1.2.3. Not.ad Not. Mercat.lib.3.cap.1.2.3.*

[b] *L.Iulianus.§.venditor, cum ſeqq.D.de Act. Empti.d.l.7.§.non ſolùm, l.ſi quis affirmauerit.h.t.*

III.

Quodſi dolus re ipſa interuenerit; puta ſi deceptio vltra dimidiam partem iuſti pretij contigerit:

venditor vt reddito pretio res ſibi reſtituatur, vel iuſtum pretium ſuppleatur agere poteſt[a].

[a] *L. 2. 8. C. de Reſcind. vendit. & tam ad Emptorem quàm venditorem pertinere defendemus.*

IIII.

Ita tamen ſuccurrit Prætor, ſi dolus ſit malus: Bonus ſiquidem dolus (qualis eſt ſiue aperto Marte, ſiue ex inſidiis hoſtem obruamus, modo iuſtitiæ fines conſeruentur) nullo Prætoris Edicto coërcetur[a]; Fidem tamen hoſti datam relligiosè ſeruandam arbitramur[b].

[a] *L. 1. §. non fuit, D. h. t. Lyſander Imperator monet, vbi leonina pellis deficit, vulpinam eſſe aſſuendam. Auguſt. Cùm quis bellum ſuſcipit, apertè an ex inſidiis pugnet nihil intereſt.*

[b] *Duar. ad l. 1. D. de Pactis Hottom. illuſt. quæſt. 7. l. 21. D. de neg. geſt.*

V.

Daturque cauſa à Prætore cognita[a] ita demum de Dolo actio, ſi nulla ciuilis vel honoraria, non modò aduerſus doloſum ſed & alium[b], ad indemnitatem conſequendam ſit actio.

[a] *L. 2. C. l. 1. D. h. t. l. 9. §. fin. eod. l. Diuus §. 1. de Reſtit. in integrum.*

[b] *L. 1. §. vlt. l. 5. h. t.*

VI.

Adeò vt qui neglexerit aliam præterquam Doli habens actionem, ad hoc iudicium, quod tempore vel ſine dolo aduerſarij expirauerit (quoniam famoſum eſt[a]) regreſſus non concedetur[b].

[a] *L. 1. §. idem Pomponius h. t. ſibi enim imputet quod agere ſuperſedit.*

[b] *L. 1. §. ait Prætor h. t. & d. l. 7. § 1. D. de reſtit. in Integ.*

Finie-

VII.

Finiebatur autem hæc actio olim anno vtili: hodie biennio continuo, ex eo die quo Dolus commissus asseritur[a].

[a] L.vlt.C.h.t.sed tamen postea actione vtili siue in factum agere poterit.l. itaque D.h.t.

VIII.

Daturque hæc actio deceptis: eorumque hæredibus & in hæredes[a], de eo quod ad eos peruenisse probatum fuerit: idque perpetuò, ne ex alieno scelere ditentur[b].

[a] L.1. 13.h.t. Excipe minores 25. annis, qui in integrum restituuntur.l. antepen. D.h.t.

[b] L.29.h.t. l.vnica C.ex delict. defunct. l. toties D.de R.I.

IX.

Hoc autem peruenisse quomodo accipiendum sit, ICti disputant. Nos rationibus Pauli ICti adducti, semel ad hæredem proximum peruenisse sufficere arbitramur, vt perpetua sit actio[a].

[a] L.17.D.quod met.ca.

X.

Plures Dolum vel Metum facientes, omnes quidem ex suo crimine in solidum tenentur, sed si vnus pœnam vel rem præstiterit: cæteri liberantur, omniumque tollitur obligatio[a].

[a] L.17.h.t.l.14.§.fin.D.quod met.caus. & ibi Cuiac.l.1.§.si plures D.de eo per quem factū. Bona enim fides non patitur idem bis exigi: & hac actio rei magis est persecutoria, nō verò merè pœnalis.

XI.

Verùm cùm paria sunt delicta: & duo dolo quid fecerint, compensationi (quæ fit ipso iure, citra fa-

ctum hominis[a]) locus erit; inuicemque de Dolo non tenebuntur[b].

[a] *L.10. D. de Compens. l.4. qui pot. in pig. habeantur, l.19. D. de lib. caus. §.1. Instit. quibus mod. toll. oblig. Duar. ad tit. de Compens. cap.2.*

[b] *L.36. h.t. l. fin. §. pen. D. de eo per quem fact. frustrà enim legis auxilium inuocat, qui in eam committit. l. viro 39. ff. solut. matrim.*

XII.

Aduersus parentem, patronum, filio vel liberto, humili aduersus dignitate excellentem, prodigo, luxurioso, aduersus emendatioris vitæ hominem (quoniam turpitudinem ingerit) non concedetur: Sed in factum temperanda est actio, vt bonæ fidei fiat mentio, atque ita suæ indemnitati aliorumque saluti consulat[a].

[a] *L.11. D. h.t. l.4. §. aduersus, & §. fin. D. de doli & metus excep.*

XIII.

Vt non ex omni dolo, ita nec ex omni metu (de quo in præsenti sumus dicturi) Prætor actionem pollicetur; Non enim oportet actionem de Dolo dari de re modica, id est, vsque ad duos aureos[a]. Metum accipimus, non vanum alicuius vexationis timorem[b], sed præsentis mali; quique in constantissimum quemque cadere possit, vt mortis, stupri, vinculorum priuatorum[c].

[a] *L.10. D. h.t. l.4. D. de rest. in integ.*

[b] *L. 5.6.7. D. eod. quia vani timoris non est habenda ratio; l.184. D. de R.I.*

[c] *L. Metum, l. continet. D. eod. & communiter DD. ad §. quadrupli Instit. de Actionibus.*

Præsen-

XIIII.

Præsentem autem metum accipimus, non suspicionem inferendi eius. quamobrem, si possessionem dereliquero audito quosdam armatos venire, edicto locus non erit[a].

[a] *L.9.D.h.t. l.3. §.si quis autem, D. de vi & vi armata, & ad d.l.3. Cuiac.*

XV.

Hoc loco rectè controuertitur: An qui vim facit debitori suo vt ei solueret, hoc Edicto teneatur? Nos ex Iuliani sententia, eum propter naturam metus causa non teneri concludimus. Quamuis enim in L. Iuliam vnde vi incidisse, & ius crediti amisisse negare non possimus[a].

[a] *L. sed & partus 12. §. fin. l. extat seq. D. eod. & ibi Cuiac. l.7. & vlt. D. ad l. Iul. de vi & vi armat. l. si in tantam, C. vnde vi.*

XVI.

Habet hæc actio locum, contra metum inferentem intra annum in quadruplum, post annum in simplū causa cognita: estque arbitraria[a] hæredibus & in hæredes competens, quatenus sunt locupletati.

[a] *L.9. §. fin. D. h.t. l.4. C. eod. §. præterea, Inst. de Act. & ibi Donell. l.14. §. 1. cum seq. eod.*

XVII.

In restitutione rei metu extortæ non tantùm de fructibus perceptis, sed etiam (vt omnis m.f. possessor) de percipiendis tenetur[a].

[a] *L.12. D.h.t.*

XVIII.

Cui autem onus probandi in his iudiciis incumbat vi-

bat vi-

bat videamus: Quoniam nemo dolo facere præsumitur[a], ideò qui dolum vel metum factum asserit, Dolum admissum[b] externis indiciis intentionem animi declarantibus, iisdemque perspicuis, metum ex atrocitate facti docere tenetur[c].

[a] *Bonus enim quilibet præsumitur, l. fin. §. & licet. C. ad l. Iuliam repet. Costal. ad l. si verò 5. qui satisdare cogantur.*

[b] *L. quoties, §. qui dolo. D: de probationibus.*

[c] *L. dolum C. h. t. l. 75. §. Marcellus, D. de Iudiciis. l. metū, C. quod met. causa. l. 7. §. fin. h. t. l. si voluntate, C. de Rescind. Vend.*

Corollaria.

Ratihabitio patris nuptias liberorum subsequens retrotrahitur, & ab initio iustas nuptias efficit[a].

[a] *L. 5. C. de Nuptiis, c. ratihabitionem, de R. I. in 6°. l. fin. C. ad S C^tum Maced. Dissentiunt Cuiac. lib. obseru. 3. cap. 5. & Contius lib. 1. Disp. cap. 7.*

An præter quatuordecim exhæredationis causas in Nouella CXV. expressas aliæ recipiantur? negatiuè, contra communem DD. opinionem, subscribimus.

Auth. non licet, C. de liberis præteritis. & ibi contrarium DD. Viglius ad §. vlt. Instit. de Exhæred. lib.

Lavs Deo et Gloria.